



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Daniel Abb. 21. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

## S. DANIEL ABB. 21. Iulii.

**I**mpetraverat à Deo DANIEL hæredem viro, quocum illi hospitii familiaritas intercesserat, Itaque hic eum patronum, at malevoli patrem etiam pueri vocabant. Sed pro innocentia pronuntiavit Innocentia altera. Infans nuper natus, qui iussus à DANIELE patrem palàm edicere, digito in verum parentem conjecto, *Hic*, agebat, *pater meus est*, atque ita simul patronum suum absolvit, simul calumniatores improbos damnavit. Sub hæc cum DANIEL Eulogium latomum cerneret in egentes præ aliis piis, precari apud Deum institit, plures opes submitteret tam bene prodigo. Et annuere *Deus* est visus si pro Eulogio sponderet, divitias fraudi, morum integritati non futuras. Convenit, spondit DANIEL. Igitur Eulogius cum saxi thesaurum eruit, ad aulam abit, honores mercatur, fruit palatia, emit mancipia, splendide ac lautè victitat. Adest DANIEL officii sui amicum comonefacturus, sed surdam ad pauperis vocem januam reperit, verberibus pro stipè oneratus. Anxius proinde cum à *Christo* crucifixo exsolvi vadimonio postularet, annuit Filii nomine *Mater Magna*, mox etiam ipse *Filius*, eâ lege ne simile posthac vadimonium faceret inpru-



22. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 455  
inprudens. Interea Eulogius mortuo Imperatore, honorum fastigio opibusque omnibus excidens in latomias suas postliminiò devolvitur, mox cum paupertate pauperum amor & unà virtutes omnes ab exilio revocantur. Tam malè, ô Divites! vitæ sanctitati cum divitiis, tam bene cum paupertate convenit. *Ex Pet. de Nat.*

*Prorsus beati pauperes Christi, quorum fides sic elusit sapientiam mundi, ut soli, quis sit optimus divitiarum usus, invenerint, quod videlicet divitiæ pauperem faciant, si diligantur; divitem & beatum si pro Christo contemnuntur. Guerr. serm. de omn. SS.*

S. WANDREGISILUS C. 22. Iulii.

**E**Xemplo in paucis memorando WANDREGISILUS nobilissimam Sponsam conciliavit Christo; ipse Dagoberti aulam, cujus comes erat, Asceterio posthabuit. Inde revocatus regis imperio ad ipsa palatii limina currum rusticelli eversum magno labore, majore sui contemptu, è luto sustulit. Risere scilicet aulæ mancipia, cum principem animum in coenum abjicere se viderunt. At intempestivos cachinos castigavit Deus censor, quando, qui vestes purgaret Wandregisili luto asperfas, è cælo palàm Ephebus adstitit, &

Ff 4

ser-